



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 Quis ex dictis respectibus sit magis essentialis ectioni, ita vt in de sumat
speciem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

XXIV.
Num om-
nis actio in-
ferat passio-
nem.

cutus est Arist. in 3. Physic. 3. Quamvis ex eo loco po-
tius sumendum sit, omnem motum esse actionem,
quam e conuerso omnem actionem esse motum.

Ad tertium, idem dicendum est de illa propositione,
Actio inferat se passionem: est enim vera de actio-
ne Physica, non de actione absoluta. Et quamvis a-
ctio immanens. Metaphysica potius dicenda sit, quam
Physica, quia ex vi sui generis abstrahit à materia se-
cundum esse, tamen ex ea parte, quia conuenit cum
actione physica in eo, quod sit ex subiecto, verū ha-
bet illud principium, etiam in actione immanente.
Male autem comparatur hæc actio ad obiectum, in
quod nullam inferat passionem, quia tantum est de
ratione actionis, ut inferat passionem in subiectum,
in quo ipsa est: vel ut formaliter loquamur in subie-
cto, in quo est terminus eius: hoc autem modo actio
immanens inferat passionem in ipsum operans. Male
item committitur æquiuocatio de materia circa quā
& ex qua: non enim oportet, ut actio inferat passio-
nem in materiam circa quam ut in subiectum, sed in
materiam in qua, vel ex qua, ut est subiectum. Ad
confirmationem autem ex definitione potentie a-
ctiue, si argumentum quicquam valeret, probaret
potentias à quibus manant actus immanentes, non
esse potentias actiuas, quia non transmutant aliud:
necessario ergo exponenda est illa definitio, vel de
potentiis, quæ agunt actione transeunte & Physica,
vel, si in vniuersum intelligenda est de potentia trans-
mutandi subiectum, illa particula *aliud in quantum a-*
liud, non est intelligenda secundum realem distin-
ctionem, sed sufficit secundum rationem formalem
potentie agentis, & patientis, ut tractando de causa
efficiente dictum est.

XXV.

Quartum argumentum ideo proponitur, quia nō
consideratur distinctio inter actionem immanentem
quatenus actio est, vel quatenus est qualitas facta: ite-
rum quia non consideratur aliud esse loqui de actione, ut
actio est, vel ut talis actio est. Actio ergo secundum
communem ac præcisam rationem actionis non po-
tuit, ut sit perfectio agētis, quod solum probat ex-
emplum ibi adductum de calefactione ignis: non ve-
ro repugnat rationi actionis, ut aliqua actio ex sua
propria & specifica ratione sit perfectio agentis. Rur-
sus cum dicitur beatitudo consistere in actione im-
manente, si proprie loquamur, intelligendū est con-
sistere in ipso actu immanente, ut est qualitas infor-
mans ac ultimo perficiens ipsum operans, nam in a-
ctione ut actio est non consistit, nisi præsuppositiue,
& ut in via ad talem perfectionem.

Argumentis secundæ sententiæ satisficit.

XXVI.

Argumenta secundæ sententiæ soluta sunt in su-
perioribus, præsertim primum & secundum. Ad
tertium vero dicitur, satis metaphorice dici poten-
tias vniuersales per actiones immanentes, eo tamē
productas in ipsis potentiis per proprias actiones im-
manentes. Et in vniuersum actio vniuersa nunquam
fit sine productione alienius termini, qui vel forma-
liter sit ipse modus vniuersalis, vel completè & adæqua-
te sit ipsum compositum ex vniuersione resultans, ut ali-
bi latius tractatum est.

SECTIO III.

*Quis respectus, ad principium, vel ad terminum sit
magis essentialis actionis, & unde sumat spe-
cificationem suam.*

I.



Vni ostensum sit, actionem duplicem
respectum includere intrinsecè & es-
sentialiter, videndum consequenter
est, quomodo illi duo respectus in vnā
& eandem rem simplicem ac per se v-

nam conueniant. Nam videntur inter se specie di-
uerſi, cum res plusquam specie diuersas respiciant:
ergo vel non possunt rationem essentialē actionis
per se vnā componere, vel dicere oportet ab altero
sumi rationem generis, ab altero rationem differe-
ntiæ, ut ita possit rationem per se vnā compone-
re. At vero nulla ratione potest vni respectui tribui
differentiā genericā vel specificā, potius quam alteri,
quā actio in genere vtrumque respectum includit,
ad agens in communi, & ad terminum in communi:
actio vero in specie variari potest tum variato termi-
no, tum etiam variato principio agendi.

Hæc quæstio in propriis terminis ferè est ab aucto-
ribus prætermissa, sed illam includunt vel sub com-
muni quæstione de specificatione motus ex termi-
no, quam attingemus dis. sequenti. vel sub alia quæ-
stione de specificatione actuum immanentium ex
obiectis, quam supra insinuauimus, cū de qualitate
ageremus. Nihilominus tamen speciem habet dif-
ficultatem, propter peculiarem respectum, quem a-
ctio ut actio dicit ad agens, & propter variā dictā Do-
ctorum, præsertim D. Thomæ. Supponimus autem ex
dictis in superioribus, & ex doctrina D. Tho. 1.2. q. 54.
artic. 2. has entitates vel modos, qui in sua essentia in-
cludunt respectum ad aliquid, ab illo etiam sumere
speciem: non quod ipse terminus aut res extrinsecas,
sit propria differentia, cum hæc debet esse internè
ac formalissimè in ipsa re, sed quod iuxta diuersitas
tem rei ad quam est habitudo, varietur habitudo
ipsa, & consequenter essentia rei.

Variæ sententiæ proponuntur.

Hoc supposito varii possunt esse modi dicendi in
præsentī difficultate. Primus est actionem sumere
re speciem ex principio agendi, & non ex termino,
per se loquendo. Hæc videtur esse sententiā D. Tho-
mæ, quæ sit one 1. artic. 3. cuius hæc sunt verba. Cum
motus distinguatur per actionem & passionem, vtrumque
eorum ab actu speciem sortitur: actio quidem ab actu qui est
principium agendi, passio vero ab actu qui est terminus mo-
tus. Unde calefactio actio nihil aliud est, quam motus quæ-
dam à calore procedens: calefactio vero passio nihil aliud est
quam motus ad calorem: definitio autem transfigit ratio-
nem speciei. Et ratione probatur hæc sententiā, quia a-
ctio habet tam essentialē habitudinem ad princi-
pium efficiens ut illo variato, necesse sit variari actio
hæc: ergo necesse est, ut ab illo sumat speciem & con-
trario vero non ita pendet ex termino, ut hoc essen-
tialiter variato necesse sit actionem essentialiter variari:
creatio enim calis & terræ, eisdem speciei est,
etiam si res ipsæ creatæ specie differant. Et confirmat-
ur primo, nam actiones vitales differunt à non vita-
libus ex principio actiuo, scilicet, quia procedunt à
principio intrinsecò & vitali. Et rursus actiones vi-
tales differunt inter se ex obiectis, quatenus sunt
principia actiua earum, ut supra dixit D. Thomas: ergo
in vniuersum actiones distinguuntur ex princi-
pio. Confirmatur secundo, quia motus ut motus, vel
ut passio seu mutatio generatim supra sumit speciem
à termino: ergo actio ut actio non potest inde sumere
speciem: nam cum sint res diuersorum prædica-
mentorum, non possunt habere idem specificationis
principium.

Secundus modus dicendi est actionem sumere spe-
ciem ex termino, & non ex principio agendi. Sumit-
turque ex D. Tho. quæst. 6. de potent. art. 8. vbi ait, Pro-
prie actio, sicut & motus à termino speciem habet, à princi-
pio autem habet proprie quod sit naturalis. Idem videntur
sentire omnes philosophi, cum loquuntur de spe-
cificatione motus ex termino, nam sub motu actio-
nem & passionem includunt. Ratione etiam præbatur
quia si actio nō sumeret specificationē suā à termi-
no sed à principio agendi, omnes actiones proceden-
tes ab eodem principio, essent eiusdem speciei, etiam si
ad di-

ad diuersissimas res tenderent, quia haberent idem principium specificans. Consequens autem incredibile est, alias calefactio & illuminatio solis essent actiones eiusdem speciei, quia procedunt ab eadem luce solis, & similiter omnes actiones voluntatis. præsertim illæ, quæ ab illa sola sunt, vt à principio proximo actiuo, essent eiusdem speciei. Confirmatur primo, quia actio licet ab agente procedat, tamē essentialiter est communicatio al cuius esse, & sub ea ratione est via ad suum terminum: via autem essentialiter respicit terminū, & variatur variato termino, ergo ab illo speciem sumit. Confirmatur secundo, nam cum motus duos habet terminos, nimirum à quo & ad quem, iuxta veram Philosophiam non accipit motus speciem à termino à quo sed ad quem at vero ad eundem modum videntur comparari ad actionem principium agendi, & forma facta, nam agens à quo egreditur actio, forma vero est ad quam tendit, quam semper hic nomine termini intelligimus: ergo non sumit actio speciem à principio à quo egreditur, sed à termino ad quem tendit.

V. Tertia sententia esse potest ad specificationem actionis concurrere simul principium & terminum, ita tamen vt variatio vtriusque & singulorum ad diuersitatem actionis sufficiat, nam si actio sit ab eodem agente ad eundem terminum, actio erit eiusdem speciei, si vero terminus, sit idem, & agens diuersum, actio erit diuersa: & e conuerso si agens sit idem, & terminus distinctus, actio erit distincta ab vtraque præcedentium. Hæc etiam sententia sumi potest ex D. Thoma citato loco de potentia, & clarius 1. part. quest. 77. artic. 3. vbi ait: *Ex his duobus actio speciem recipit, scilicet ex principio, vel ex fine seu termino*: vbi notanda est illa distinctio, vel: indicat enim diuersitatem in quocunque illorum sufficere ad diuersitatem actionis. Ratione autem probari potest hæc sententia, primo ex illo principio Diui Thomæ dicta quæstionis 54. 1.2. art. 2. Omnis, quæ dicitur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum, ad quæ dicuntur: ergo quod dicitur secundum ordinem ad plura, distinguitur secundum distinctionem eorum. Et quia, sicut bonum ex integra causa, & malum ex quocunque defectu, ita vnitas requirit conuenientiam omnium principiorum: ad diuersitatem autem sufficit diuersitas singulorum: ergo in præsentī, cum actio essentialiter respiciat tum principium, tum etiam terminum, ex conuenientia & vnitate eorum sumet vnitatem, & ex distinctione cuiuscunque illorum sumet diuersitatem. Quod secundo ostenditur inductione, nam in primis productio eiusdem hominis facta ab homine generante, vel à Deo creante, est actio speciei diuersa ex diuersitate principiorum, quamuis terminus sit idem: idem videtur certis de eiusdem hominis generatione & resurrectione, & de productione naturali, & miraculosa eiusdem visus. Rursus à contrario multo certius est, actiones calefaciendi & illuminandi esse diuersas speciei ex terminis, etiam ab eodem principio procedant, vt paulo ante dicebamus. Vnde tertio potest hæc sententia confirmari rationib. primæ & secundæ, nam illa probant diuersitatem in quocunque illorum respectum sufficere ad diuersitatem actionis: ex quo plane fit, vtrumque simul concurrere ad specificationem actionis.

VI. Addunt vero aliqui, etiam, illa duo simul sumpta non sufficere ad vnitatem actionis, sed oportere prætereā attēdere ad modum actionis, quia fieri potest vt principium & terminus sint eadem, & nihilominus actio sit diuersa ex modo. Vt in nonnullis exemplis supra positīs videre licet: creatio enim & generatio eiusdem rei, etiam si vtraque actio à Deo immediate fiat, sunt actiones speciei diuersæ, non ex termino vel principio: sed ex modo. Similiter dicunt Philosophi motionem circularem, & rectam distingui speciei etiam ad eundem terminum tendant, & ab

eodem principio procedant. Et simile est de actione & diminutione. Et cōfirmari potest à simili: nam habitus sæpe distinguuntur ex modo tendendi, etiam si alias in obiectis conueniant. Sicut etiam duæ viæ materiales, licet ad eundem terminum tendant, solent distingui, quia diuersis modis, seu per diuersa spatia tendunt.

Actionem, speciem ac diuersitatem sumere à termino.

VII. In hac diuersitate opinionum dicendum in primis censere ad vnitatem specificam actionis requiri termini vnitatem, & consequenter ad terminos speciei diuersos semper esse actiones speciei diuersas: atque adeo speciem actionis semper sumi aliquo modo ex termino. Hæc sumitur ex Aristotele 5. Phys. c. 4. text. 31. nam quoad hoc eadem est ratio de motu & de actione, vbi reliqui Philosophi idem sentiunt. Idem Aegid. in 1. dist. 17. artic. 2. Et ratio est, quia terminus comparatur ad actionem per modum forme & actus vltimi, propter quem primo ac per se fit: ergo inde sumit primariam rationem suam. Item, quia actio in re non est, nisi ipsa forma vel res quæ fit, proinde egreditur, & pendet ab agente: ergo si forma quæ fit, est speciei diuersa, etiam actio erit speciei diuersa, tandem actiones ex terminis ad quos tendunt, habent contrarietatem & repugnantiam, ideo enim frigefactio & calefactio contraria sunt, quia termini ad quos tendunt, sunt contrarii: similiter ex terminis habent communem denominationem, vt dicitur calefactio à calore, quod est signum inde etiam habere speciem & naturam. Quo argumento vsus est in simili Philosophus 5. Phys. textu 4. & 48. argumenta etiam facta in secunda opinione hanc assertionem sufficienter persuadent.

Sed quæri hic potest, quanta vel qualis terminorum distinctio vel vnitas sufficiat, vel requiratur ad distinctionem vel vnitatem actionis. Quidam enim putant non sufficere specificam distinctionem terminorum in suo esse naturali & reali, sed requiri etiam quod distinguantur in ratione formali terminandi: & e conuerso, ad vnitatem specificam actionis non existimant requiri vnitatem specificam termini in suo esse reali, sed in esse formali termini. Sicut enim in obiectis habituum distingui solet obiectum materiale & formale, vt vnitas vel distinctio habitus, non ex materiali, sed ex formali obiecto sumenda intelligatur: ita censent in terminis actionem distinguendam esse & materiale terminum appellat rem, quæ fit secundum suum esse reale: formalem vero eandem rem secundum modum quo afficitur ab agente. Quæ sententia sumi potest ex Alberto 7. Phys. tract. 3. cap. 1. Nihilominus tamen conclusio posita intelligenda est de terminis productis per actionem secundum esse eorum, nisi enim ita intelligatur, nihil certum de vnitate, vel distinctione actionum ex terminis affirmari potest. Nam illa formalitas termini vnde sumenda est? Si enim dicatur sumenda ex modo agendi, de ipso modo agendi inquiri poterit, an sit vnus genere vel speciei vltima. Primum non semper dici potest, vt patet de modo agendi per alterationem, vel per educationem de potentia materie, & aliis: si autem sub hoc modo agendi sunt varii modi: seu variae actiones speciei distinctæ, non potest distinctio nisi ex terminis designari, qui termini sumendi necessario erunt secundum esse rei, quia in modo quo attinguntur, non differunt. Et hac ratione dicebamus superius actionem creatiuam non esse vnus speciei respectu rerum omnium, sed pro diuersitate specificæ creaturarum, actiones etiam creandi speciei differre: idque à paritate rationis confirmabamus ex diuersitate specificæ generationum, vel alterationum tendentium ad diuersos terminos.

Quod argumentum etiam præsentem sententiam confirmat nam: quod generationes equi, leonis, &c. speciei

VII.

VIII.

IX.

specie differant, communis est Philosophorum sensus, nam Aristot. calefactionem & frigefactionem aperte dicit specie differre, 5. Physic. c. 3. & videtur per se manifestum, nam illæ actiones natura sua contrariæ sunt. Et fere eadem ratio est de educatione formarum substantialium specie distinctarum, natura sua in eadem materia repugnantium. Idem præterea argumentum fieri potest de omnibus actionibus intellectus aut voluntatis, quæ in modo quo fiunt ab his potentis conueniunt, & non propterea possunt existimari eiusdem speciei, cum ad diuersos terminos, seu obiecta tendant. Ratio denique à priori est, quia actio ut actio est productio & communicatio alicuius esse: non potest autem magis formalis terminus productionis assignari, quam ipsa res producibilis secundum proprium esse specificum, quo producibilis est. Quapropter non fit recte comparatio inter terminos actionum, & obiecta habituum vel actuum quia obiecta non comparantur ad habitus ut producibilia ab ipsis, sed ut attingibilia (ut sic dicam) per aliquod medium, vel sub aliqua ratione formali, & ideo ex diuersitate mediorum aut rationum attingendi obiecta possunt habitus diuersificari actio vero respicit terminum ut producibilem id est, ut potest esse recipere, aut tale esse & hæc est maxime formalis ratio, & ideo ex eius diuersitate semper diuersificatur actio

Actiones non distinguuntur absque terminis.

X.

Deo secundo: Probabile est, nunquam actionem esse diuersam in specie ob solum principium agendi si terminus idem sit, & eiusdem rationis: quæquam oppositum etiã defendi possit. Probat prior pars inductione: quæ inductio est negatiua scilicet, solum fieri debet in illis exemplis, in quibus maxime videntur actiones specie diuersæ ad eundem terminum tendere: nam si in eis recte consideratis non ita est, sufficiens argumentum erit nunquam id accidere. Sicergo sit inductio primo in generatione & creatione eiusmodi hominis, nam in tantum illæ actiones differunt in quantum creatio includit effectiorem materiam, & formam ex nihilo, generatio vero illas non includit, sed supponit, & dicit tantum vnionem formæ eum materia: at vero si in productione hominis per creationem accuratè distinguamus effectiorem materiam & formam, & consideremus solum actionem quæ vnitur, illa actio præcise sumpta non inuenietur distincta ab actione, quæ in generatione intercedit. Quemadmodum in superioribus tractando de formali causa dicebamus, actionem per quam in materia elementari introducta fuit prima forma ignis vel terræ, &c. fuisse veram educationem, etiam si in eodem instanti materia fuerit creata. Vnde licet creatio ignis absolute sit diuersa actio à generatione, tamen si subtiliter præscindatur educatio, quæ in illa creatione includitur, non erit actio specie distincta à generatione. Et propterea eandem causam dixi in 2. tom. 3. part. disp. 34. sect. 5. cum multis auctoribus resurrectionem hominis, si præcise consideretur quantum ad vnitionem animæ cum corpore, nullo alio adiuncto supernaturali dono vel miraculo, esse eiusdem rationis specificæ cum substantiali actione: quæ primo animæ vnitur corpori in generatione. Ergo idem dicendum erit de omni simili actione, vel restitutione formæ amissæ. Similiter, si Deus annihilaret aliquem angelum, & eundem postea iterum crearet, quamuis illa dici possit quasi resurrectio quædam, id est iterata productio rei, quæ iam prius fuerat, & esse desiderat tamen illa actio eiusdem rationis esse: cum prima creatione, quia sola iteratio, aut durationis interruptio non potest sufficere ad specificam diuersitatem actionum idem ergo erit in actione vnitiua aut educatiua, scilicet unde in termino non sit maior diuersitas.

XI.

Potest vero ulterius comparari actio creandi cum actione educendi formam de potentia materie, &

inuenietur specie distincta etiã respectu eiusdem termini. Nam, si Deus crearet quantitatem sine subiecto, actio esset specie diuersa ab ea, quæ educit quantitatem ex materia. Sed licet hoc verum sit, non tamen est sine aliqua diuersitate terminorum, nam per creationem sit ipsa quantitas, per educationem vero non sit quantitas, sed quantum: quæ differentia in omni simili actione reperitur, & non est polita in solo modo loquendi, sed in re ipsa habet fundamentum, quia per creationem sit quantitas præcise & abstracte vel cum modo per se essendi, per educationem vero formaliter sit quantitas ut vnita, ita ut terminetur actio etiam ad modum vnionis ex natura rei distincta ab ipsa forma. Et ex hac diuersitate in termino actionis oritur etiam diuersitas in modo, quia per creationem sit forma sola virtute efficientis causæ: per educationem vero non sit, nisi concausante cum illa materiali causa. Sic igitur nunquam creatio eiusdem rei est actio speciei diuersa ab alia eius productione, sine aliqua distinctione in ipsis terminis. Atque hinc potest fieri generale argumentum, nam si in his actionibus, quæ maxime videntur per sese diuersæ vel ex principiis vel ex modo: nihilominus earum distinctio nunquam saluatur sine distinctione in terminis, multo minus in aliis actionibus poterit id reperiri.

Vnde alia exempla facilius possunt expediri, quale est de calefactione facta vel ab igne, vel à Sole, vel item ab igne cum concursu Dei, vel à solo Deo: in his enim omnibus facillime negari poterit, actiones esse specie diuersas propter solum illam principiorum diuersitatem, quia licet illa principia sint realiter seu formaliter diuersa, tamen non agunt idem ut diuersa sunt, sed quatenus vnum eminenter continet aliud vel ambo eandem formam. Quod autem hoc sufficiat ad specificam vnitatem actionis respectu eiusdem termini, satis probabiliter suaderi potest, quia virtus eminenter continens aliam, sicut eminenter continet formam eius: ita & actionem eius: ergo virtus eminentens non solum potest facere eandem formam in specie: quam virtus inferior, sed etiam eandem actionem in specie: si ergo Deus non solum potest se solo facere eundem speciem calorem, quæ facit ignis, sed etiam eandem speciem calefactionem: ergo calefactio, quæ fit à Deo solo, & quæ fit ab igne cum concursu Dei, ex hoc capite non differunt specie. Quod eodem modo procedit de omnibus similibus agentibus.

Et inde etiam potest formari generalis ratio, nam diuersa principia eiusdem termini, vel sunt causæ vnitiuæ, vel æquiuiuæ, vel vna vnitiuæ, & alia æquiuiuæ. Si sint vnitiuæ causæ, erunt eiusdem rationis cum effectu, & consequenter etiam inter se: si vero vna causa sit vnitiuæ, & altera æquiuiuæ, etiam actio erit eiusdem rationis ob rationem tactam, quia causa æquiuiuæ agit, ut eminenter continens effectum & actionem causæ vnitiuæ. Atque eadem ratione si ambæ causæ sint æquiuiuæ, etiam si sint in se diuersarum naturarum, si efficiunt effectum eiusdem rationis, facient etiam per actionem eiusdem rationis, quia facient quatenus eminenter continent idem: ergo actio si ad terminum omnino similem tendat, non potest esse diuersa essentialiter ex parte agentium, quia non potest alia esse diuersitas in agentibus præter dictam. Nisi quis fortasse addat: quod interdum effectus est simul à causa vnitiuæ & æquiuiuæ, ut à causa secunda & prima, interdum ab æquiuiuæ tantum, aut certe quod interdum effectus est à causa principali medio instrumento, interdum sine illo. Sed certe si priores varietates agentium non sufficiunt ad diuersitatem actionum, neque istæ sufficiunt. Quia neque sunt maiores, neque est in illis specialis ratio: immo hæc in illis continentur. Nam quod causa æquiuiuæ operetur sola, vel cum vnitiuæ, perinde est: nam semper causa æquiuiuæ operatur ut eminenter continens effectum. Causa vero instrumentalis, præsertim si connaturalis sit, non ponitur

numerus (ut ita dicam) cum causa principali, sed ad eandem actionem libi & effectui maxime connaturali assumitur.

XIV. Et confirmatur hæc inductio, nam per se incredibile videtur actionem mouendi cælum, v.g. esse diuersam specie, eo quod fiat ab angelis specie diuersis, aut à Deo immediate, vel ab Angelo. Idem ergo est de aliis similibus quoties terminus est omnino eiusdem speciei. Tandem adiungi potest ratio, quæ videtur à priori, quia principium agendi, si sit vniuersum, ex sua specie determinatum est ad talem actionem tendentem ad talem terminum: si autem sit æquiuocum, cum ex se sit vniuersale & indifferens, non potest ab illo sumi determinata species actionis, determinatur ergo ex termino, quia in illum non influit secundum totam virtutem quam habet, sed prout illum eminenter continet: ergo semper species actionis vltimate est spectanda ex termino.

Argumentis primæ sententiæ satisfactis.

XV. Et itaq; hæc pars probabilissima, & mihi, absolute loquendo, vera videtur, iuxta quam facile soluantur rationes factæ in prima sententiâ. Nam Diuus Thom. ibi citatus exponendus est iuxta alia dicta eius in locis, quod actio sumit speciem ex principio agendi, non sitiendo in illo, sed vt relatio ad terminum, seu vt determinatio ratione illius ad talem modum actionis. Hæc enim est ratio ob quam licet ordo ad principium & terminum sit de essentia actionis, determinatio speciei actionis magis est ex termino quàm ex principio, quia terminus in vniuersum est magis determinatus, & limitat (ut ita dicam) actionem causæ, si alioqui ipsa determinata non sit. Ad primam autem rationem respondetur negando vtramq; partem in ea sumptam. Diximus enim, creationes rerum specie diuersarum esse specie diuersas, etiam si ab eodem agente procedant, & e contrario actiones ad eundem terminum esse eiusdem rationis, etiam si fluant à diuersis agentibus. Ad primam confirmationem concedo actiones vitales differre à non vitalibus ex principiis diuersarum rationum, non tamen sine ordine ad diuersos terminos. Unde si inter eundem omnino terminum fieri potest per actionem vitalem & non vitalem, tunc actiones ipse non erunt differentes in specie secundum rem, sed tantum secundum extrinsecam denominationem, sicut differunt sæpe actio libera & non libera, & motus naturalis vel violentus. Vt locutio aut comestio Angeli in corpore assumpto non est vitalis, sicut est locutio vel comestio hominis: & tamen, si actiones aliæ exteriores in sua reali essentia considerentur, non sunt specie diuersæ sed denominatione tantum.

XVI. Concedo rursus, actiones vitales inter se differre ex obiectis, vt ex principiis, non tamen sine ordine ad terminum. In qua re considerandum est, quod supra diximus, in ipsis actibus vitalibus immanentibus distinguendam esse rationem actionis à termino eius intrinseco, & qualitate facta, quæ est propria forma, & actus vltimus potentie vitalis: de quo actu vt sic præcipue verum est, sumere speciem ex obiecto, in quod immediate tendit. Tamen loquendo de actione vt actio est, etiam illa sumit speciem ex proprio intrinseco termino, quamuis etiam sumat ex obiecto, vel quatenus est principium aliquo modo illius actionis, vel quatenus ipsemet terminus actionis ab obiecto speciem sumit. Ad secundam confirmationem respondetur, tam passionem quam actionem respicere terminum modo sibi accommodato, & id eo posse ab illo sumere diuersam speciem, maxime, cum distinctio inter actionem & passionem solum sit rationis per inadæquatos conceptus, vt sequenti disputatione dicuri sumus.

XVII. Dixi nihilominus in conclusione, posse oppositam partem defendi, quia qui mordens asserere voluerit

actiones totales causæ vniuersæ & æquiuocæ tendentes ad terminos omnino similes, vt calefactione ignis & Solis, esse specie diuersas in ratione actionum seu dependentiarum, non poterit facile conuinci manifeste aut euidenti demonstratione: tamen pro Philosophica ratione factæ sufficientes videntur. Soli posset illa opinio habere aliquam verisimilitudinem, quando cum diuersitate agentium coniungeretur supernaturalis modus agendi, vt iam dicam.

Quomodo distinguatur actio ex modo.

XVIII. Dico tertio: Verisimilius est actiones nunquam esse specie diuersas ex solo modo agendi, si termini actionum sint omnino iidem, seu similes sint, dum modo illi modi agendi sint connaturales rebus seu terminis ipsis. Cur hanc vltimam partem addam dicam inferius. Nunc probatur assertio primo inductione, quæ facienda est modo in probatione precedentis conclusionis indicato. Nam de creatione & generatione in primis ostensum est, illos modos esse generales, & non específicos: deinde, illas actiones non differre tantum in modo, sed etiam in termino non tantum à quo, sed ad quæ: terminus enim à quo nisi redundet in diuersitatem termini ad quem, non specificat aut diuersificat actionem: vt sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 25. artic. 1. & q. 45. artic. 1. Quia actio non ordinatur ad terminum à quo, sed ad quem, & ab alio potius recedit, sicut de motu etiam traditur in 5. Phys. Rursus, motus localis per lineam rectam aut circularem ad eundem terminum vltimum, non esset actio diuersa, nisi termini proximi ad quos tendunt illæ actiones essent diuersi. Vt omitterem sub questionem cadere, an motus circularis & rectus essentialiter differant, etiam in ratione motus, vel solum in modo accidentali, & quasi in figura, sicut linea recta & circularis, quod ad Physicam spectat. Aliud vero exemplum, quod supra adducebatur de auctione & diminutione, non est ad rem, nam eo modo quo auctio & diminutio distinguuntur, non ex modo tendendi, sed ex terminis distinguuntur. An vero distinguantur specie quatenus actiones sunt, vel solum in ratione mutationis quatenus vna habet rationem priuationis altera acquisitionis, & quia denominantur singula ab eo, quod in eis accedit, non ad præsentem, sed ad Philosophicam disputationem pertinet: hic enim satis est in genere dicere, in ratione actionum non habere maiorem distinctionem specificam, quam distinctio terminorum posulet: Itaq; in naturalibus actionibus nullum exemplum asserri poterit in quo, stante eodem termino, & principio agendi, actiones distinguantur specie ex modo.

XIX. Ratio autem videtur esse eadem, quæ supra tacta est, nimirum, quia terminus secundum proprium esse suum est quasi formale obiectum actionis, & ideo non potest reperiri modus qui mutet (ut ita dicam) formalitatem illius obiecti ad specificandam actionem maxime loquendo de modo actionis connaturalis tali termino, nam modus effectiōis connaturalis, est proportionatus illi rei seu illi esse, quod per actionem communicatur, nam est intrinsecus modus eius, connaturalis illi, & ideo si terminus sit omnino idem, non potest actio esse diuersa tantum ex modo. Neque explicari facile potest in quo consistat talis modus: nam si qui alii præter supra numeratos excogitari possunt reuera sunt accidentales. Vt, verbi gratia, quod vna actio sit per resultantiam, alia ab agente extrinseco, quod non variat rationem actionis, si terminus sit eiusdem rationis. Vt patet de frigefactione aquæ se reducentis ad pristinam frigiditatem, & de frigefactione aeris ab extrinseco, non enim sunt illæ actiones specie diuersæ quantum ad realem & Physicam essentiam, sed solum quoad denominationem quandam. Sicut etiam quod actio sit modo violento, vel connaturali subiecto, per se non variat actionem, si non variat terminum

minum: quia illi modi, vel potius denominationes solum sumuntur ex quadam relatione, & proportionem, aut improprietate ad naturam, quæ non solum non variat actionem, sed requirit potius identitatem vel similitudinem eius, ut possit vni subiecto esse proportionata, & alteri violenta aut non naturalis:

XX.

Addo etiam neque modum actionis quod sit successiva vel instantanea, variare speciem actionis per se loquendo, si terminus omnino sit idem, quia etiam illi duo modi sunt valde accidentales, cum solum consistant in maiori vel minori diuersitate actionis: ut supra dicebamus. Vnde sæpe variantur illi modi ex accidentalibus conditionibus ad agendum requisitis ut intensio luminis sit successiue, quia agens successiue magis & magis applicatur, & intensio caloris, quia passum resistit vel non resistit, & intensio visionis, vel actus immanentis, ex applicatione libera agentis.

XXI.

*Actiones
an speciem
diuersam
sumant ex
naturalibus
vel miracu-
loso modo
quo sit idem
terminus.*

Dixi autem in postrema parte assertionis, dum modo actiones sunt conaturalales, quia per potentiam Dei absolutam fortasse fieri potest, ut eadem res fiat actionibus specie distinctis: etiam si in terminis earum nulla sit diuersitas: si vna actio sit naturalis, altera vero supernaturalis, vel si vtrique supernaturalis sit. Duobus autem modis potest hoc accidere. Primo, si aliquo modo varietur principium agendi, ut quando Deus operatur per creaturam, ut per instrumentum, ultra virtutem naturalem eius, per potentiam obedientialem. De huiusmodi enim modo agendi probabile satis est, sufficere ad variandam speciem actionis, ut dixi in 1. tom. 3. part. disput. 31. sect. 6. in solutione sexti argumenti, ubi nonnulla diximus de differentiis actionum, quæ interpretanda sunt iuxta præsentem doctrinam. Aliter modus multiplicandi illas actiones esse potest: per solam diuinam voluntatem & potestatem, ut si Deus vellet sola sua virtute eandem omnino rem variis actionibus & specie distinctis, vel simul, vel successiue producere aut conseruare. Qui modus difficilior videri potest, quia repugnare videtur, res vel modus multiplicare, ubi nullum est principium distinctionis. Sed ad hoc dicitur, posse Deum efficere actiones seipsas distinctas, & non ex terminis, vel aliunde: quod quidem de omnibus actionibus affirmant multi & sumitur ex Scoto in 1. d. 13. qu. vnic. §. Ad questionem, & licet non sit adeo probabile de actionibus omnibus conaturalibus ipsis rebus seu terminis, tamen de actionibus supernaturalibus, quæ non ita coaptantur rebus ipsis, non videtur improbabile. Cum ergo in hoc anno appareat implicatio contradictionis, non videtur facile negandum, quanquam oppositum etiam probabilitate non careat.

XXII.

Propria questionis resolutio.

Vltimo dicendum est, ut questionis propositæ in forma respondeamus, actionem secundum quandam rationem pendere æque essentialiter atque etiam indiuidualiter à principio & à termino, quoad specificationem vero magis pendere à termino. Prior pars declaratur, quia in duobus est æqualitas. Primo, quia tam est impossibile actionem esse sine respectu ad agens, sicut sine respectu ad terminum, & è conuerso, quod satis probatum est in sectionibus præcedentibus. Secundo (quod ad indiuiduationem spectat, nam qualibet actio quoad modum suæ entitatis in indiuiduo & in particulari ita pendet ab hoc agente & ab hoc termino, ut impossibile sit, quocunque eorum variato eandem actionem manere. Ratio ex parte termini est, quia cum actio sit in termino tanquam modus eius, non potest manere illo mutato, seu sine illo, quia in vniuersum modus non potest manere sine re cuius est modus. Ex parte vero agentis ratio est, quia actio non fluit ab agente per actionem aliam sed seipsa: unde per se & per suam modalem entitatem pendet omnino hæc actio ab hoc

agente, & ideo non potest variari agens, quin sit variatio in ipsa actione, quia non est aliud in quo per se & necessario variatio fiat. Nam cum dicitur variari agens, non est necesse variari quoad absolutam entitatem eius, sed solum quoad hoc vt nunc agat, & postea non agat, etiam si idem effectus perseveret in rerum natura: illa ergo varietas non potest fieri, nisi propter varietatem actionis: ergo in vniuersum quocunque variatur agens, actionem etiam variari necesse est, nam licet variato effectu formali, necesse est variari formam, & ablato subiecto tolli accidentem, & destructo termino destrui respectum, ita variato agente in ratione agentis, necesse est variari actionem, quæ est forma eius vt sic, ad quam etiam comparatur per modum subiecti illius denominationis: & per modum termini illius respectus. Igitur quoad illa duo est æqualitas inter hos respectus, & ita intrinseca necessitas, vt implicet contradictionem aliter actionem fieri. Altera vero pars conclusionis satis patet in superioribus, nam terminus est veluti forma vltima extrinseca actionis, & ab illa determinatur agens vt sic, ut actionem in tali specie efficiat per se loquendo iuxta naturas rerum, quidquid sit de supernaturalibus miraculis.

Responsio prima ad dubitandi rationem

Hinc facilis est responsio ad rationem dubitandi in principio positam. Negamus enim respectum actionis ad agens, & terminum esse duplicem secundum rem, sed solum secundum inadaquatam conceptum nos. Nec refert, quod agens vel terminus sint res valde diuersæ, quia non respiciuntur illo respectu, nisi cum subordinatione inter se, atque ita per modum vnius: actio enim non egreditur ab agente, nisi vt tendat in terminum, ubi est autem vnum propter aliud, ibi est vnum tantum. Quod frequens est in his respectibus: habitus enim respicit potentiam, non in ea sibi sedno, sed transcendendo (vt ita dicam ad obiectum, & in vniuersum relatio refert subiectum ad terminum.

Argumentis aliarum opinionum satisfactio.

Argumenta primæ opinionis, quatenus repugnant nostræ sententiæ, soluta iam sunt. Argumenta vero secundæ directionis nostræ confirmant sententiam, & ideo non est, quod illis respondeamus. Quamquam illa comparatio, quæ ibi fit inter terminum à quo, & principium actionis, non fit omnino similis, nam actio non proprie pendet à termino à quo, nec dicit positum respectum transcendentalem ad illum, cum ille tantum sit aut priuatio quædam, aut terminus contrarius: ab agente autem positum & essentialiter pendet actio, per seipsum, & ideo ad illud dicit proprium & positum respectum transcendentalem, non minus quàm ad terminum. Ad argumenta vero posita in tertia sententia partim responsum est, probando nostram sententiam. Nam exempla quæ ibi adducuntur de diuersitate actionum ex principiis agendi, non sunt vera nisi, ubi diuersitas illa principiorum redundat in diuersitatem terminorum, saltem loquendo ex natura rei, & seclusis miraculis. Ad rationem autem ibi factam dicendum est, quando vnum ens dicit respectum ad duo cum subordinatione rerum inter se, specificationem esse sumendam ex eo, quod est quasi vltimum in illa habitudine, & ex illo capite, per se loquendo variari speciem, non vero ex alio, nisi in quantum mediante illo, vel ratione illius variatur etiam respectus ad vltimum terminum.

Denique etiam alia argumenta, quæ in quarto dicendi modo insinuata sunt, inter probandam tertiā assertionem sunt expedita. Exempla vero, quæ ibi adducebantur ex distinctione habituum, aut materialium

rialium viarum, potius confirmant, quæ diximus. Nam modus procedendi in scientia, vel operandi per habitum non distinguitur habitus, nisi in quantum in ipso obiecto variat aut medium assentiendi, aut motuum operandi: quæ variatio est in ipso obiecto, & quasi in termino formali ipsius habitus. Materiales etiam viæ tendentes ad eundem terminum remotum, ideo distinctæ sunt, quia si sumantur ut res absolutæ, sunt spacia suis quantitativis distincta, si autem sumantur quasi respectu in ordine ad terminum, in terminis proximis & intrinsicis illarum est distinctio sicut supra dicebamus de motu ad eundem terminum per lineam rectam & circularem.

SECTIO IV.

Virum actio ut actio, dicat essentialiter respectum ad subiectum inhesionis, & quodnam illud sit.

I. **I**n hac sectione amplius declaranda est dicta diuisio actionis in immanentem & transeuntem, & alia præterea subdiuisio actionis transeuntis indicabitur, simulque expedienda erit illa vulgaris dubitatio, an actio transeuntis sit in agente, nec ne.

De subiecto actionis transeuntis prima sententia.

II. **P**rimum igitur inquirendum est, an actio ut actio necessario respiciat ipsum agens ut subiectum cui inhaeret. Omnes enim auctores, qui affirmant actionem transeuntem esse in agente, in hoc nituntur principio, quod actio ut actio, in aliquo debet inhaerere subiecto, quod non potest esse nisi agens quatenus actu agens. Tenent autem hanc opinionem ex discipulis D. Thom. Caietanus 1. part. q. 25. & Hispanus 1. dist. 27. q. 1. notab. 3. Elandr. 5. Metaph. q. 22. art. 2. Tenet etiam Scotus in 4. dist. 13. q. 1. & Ant. Andreas in lib. de sex principiis, c. de actione & communiter Scotistæ & Paul. Venet. in summ. Physic. cap. 18. Avicen. 2. sufficient. cap. 5. Differunt autem multum quoad rem ipsam: nam Scotistæ per actionem solum intelligunt relationem agentis ad effectum vel passum; putant enim ante hanc relationem, quæ resultat in agente, iam productum effectum, nihil mediare inter agens & effectum, distinctum ex natura rei a forma, quæ est principium agendi, & ab ea quæ est terminus actionis, quod sit propria actio prædicamentalis. Sed nos non in hoc sensu de actione loquimur, nec putamus respectum illum posse proprie actionem vocari. Supponimusque contrarium fundamentum nimirum, esse inter effectum & efficiens actionem mediam distinctam ex natura rei ab eis, quæ est prior natura illo respectu, & fundamentum, vel conditio, vel ratio fundandi illum.

III. Caietanus ergo, & qui eum sequuntur, in hoc posteriori sensu intelligunt, actionem dicere intrinsecum respectum ad aliquid subiectum cui inhaereat, & hoc esse debere ipsummet agens. Quod si in his, quia actio Dei non potest hoc inhaerere. Respondent, etiam actionem Dei esse in Deo, non tamen per propriam inhaerentiam, sed per identitatem, & simplicitatem suam, quia illa actio non est de genere actionis, neque accidens, sed ipsamet substantia Dei. Hic autem loquimur de actione prædicamentali, quæ est accidens. Hoc autem videtur esse præcipuum fundamentum huius sententiæ, nam cum actio sit accidens, necessario debet esse in aliquo subiecto cui inhaereat, cum autem sit forma & actus agentis ex 3. Physicor. cap. 2. non potest habere aliud magis proprium inhesionis subiectum. Præterea, quia illud est subiectum formæ, quod per eam actuatur, & re-

Tom. II. Metaphys.

ducitur de potentia in actum. Quam rationem his verbis attrigisse videtur D. Thom. 2. contra Gent. c. 9. Actio quæ non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto, & ideo inter nouem prædicamenta computatur, & quæst. septima de potent. art. 9. ad 7. ait: Actio ut actio consideratur ut ab agente in quantum vero est accidens, consideratur ut in subiecto agente.

Secundo argumentor, quia si actio non est in agente ut in subiecto, in nullo subiecto erit: at vero hoc repugnat, quia est contra rationem accidentis: ergo. Probatur maior, tum quia si in aliquo subiecto esset actio extra agens, denominaret illud, nam omnis forma denominat subiectum in quo est, sed non potest denominare: quam enim denominationem tribueret non agentis, quia hanc soli agenti tribuit: non aliam quia actio ut actio non potest aliter denominare, nec ulla facile potest talis denominatio. Tum etiam, quia si in alio subiecto esset maxime in passio, sed hoc non, quia in passio est passio: actio autem & passio cum dicant respectus oppositos, & formas prædicamentales diuersas, non possunt esse in eodem subiecto. Vnde D. Thom. 10. 2. dist. 40. q. 2. art. 4. inde probat, actionem & passionem esse diuersa accidentia, quia actio est in agente, & passio in passio.

Tertio, quia actio creata est perfectio agentis: ergo est in illo, quia forma non perficit, nisi subiectum in quo est. Antecedens probari potest, primum ex illo Philosophi 2. de Cælo, c. 3. Vnum quodque est propter suam operationem: est autem vnaquæque res propter suam perfectionem ergo: omnis operatio est operantis perfectio. Deinde ex D. Tho. q. 7. de potent. art. 10. ad 1. ubi ait, quod actio, quæ est media inter agens & passum, est proprie perfectio agentis, & ideo dicit ibidem, quod agens in quantum est agens, non est extraneum a genere patientis. Et idem sentit in solutione ad 7. & 3. contra Gent. cap. 19. & sumitur ex Comment. 12. Metaph. com. 35.

Secunda sententia.

Secunda sententia affirmat etiam de ratione actionis creatæ, ut sic esse ut habeat aliquod subiectum inhesionis, propter illam communem rationem accidentis, tamen subiectum hoc non semper esse agens, sed dist. actione utendum esse: nam actiones immanentes sunt in ipso agente, transeuntes vero in passio. Et quia in prioribus partibus conuenit hæc sententia cum præcedente, solum quoad postremam probanda est. Est ergo illa sententia, ut videtur, expresse Arist. 3. Physic. c. 3. ubi eundem modum ait esse actionem & passionem, esseque actum agentis & patientis, illius ut a quo, huius ut in quo. Clare ergo sentit actionem esse in passio. Idem constat ex 9. Metaph. c. 9. ubi ait actionem esse in re facta, ut adificationem in re adificata: idem sumitur ex 2. de anima, c. 2. text. 24. & 26. ubi sic ait: Actus agentium in eo quod patitur atque disponitur inesse videtur. Et li. 3. cap. 2. text. 139. expresse ait actionem & passionem in eo esse, quod patitur, & inde infert, necessarium non esse ut quod mouet, moueatur. & tex. 140. Actio (inquirit) & passio non in agente est, sed in eo quod patitur. De sententia ergo Aristotelis in hac parte dubitari non potest ut obseruauerunt omnes Græci interpretes, & Commentatores, & Latini etiam expositores citatis locis. Quare dubium non est quin hæc etiam fuerit D. Thom. sententia: nunquam enim solet Aristotelem deserere in iis quæ pure philosophica sunt, & fidei non contradicunt. Idem etiam constare potest ex Commentariis eius in prædicta loca, & expresse in lib. 2. cont. Gent. c. 1. dictam differentiam constituit inter actiones immanentes & transeuntes: ut Ferrariensis ibi, & inferius c. 9. aduertit, & alia loca congerit. Et Capre. in 2. distinct. 1. q. 2. art. 3. & in 4. d. 49. q. 1. art. 3. Heruæus quodlib. 4. q. 4. Soncinas 5. Metaph. q. 37. lauel. lib. 9. q. 15. Et est receptissima sententia inter recentiores, cum 3. Physicor. 5. & 9. Metaph.

Bbb

Solet